



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.  
Thomam De Beatitudine. De Actibus Hvmanis. De  
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.  
Prælectiones Theologicae Posthvmæ**

**Lessius, Leonardus**

**Lovanii, 1645**

Art. 2. Vtrùm Filius Dei assumpserit animam mediante spiritus seu mente.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

vnde D. Thomas potuisset totum argumentum admittere: sicut enim Deus immediatè dat omnibus esse per creationè, & immediatè est in omnibus, non autem est in vna re, mediante alterà; ita per assumptionè immediatè vnit sibi tam carnem, quàm animam: & sicut in creatione anima est ratio creandi corporis; ita in assumptione anima est ratio assumendi corporis. Solutio tamen D. Thomæ etiam bona est.

ARTICVLVS II.

Vtrum Filius Dei assumpserit animam mediante spiritu seu mente?

3 Affirma- tur.

R Espondetur affirmatiuè. Notandù est, hunc Articulù poni à D. Thoma propter D. Augustinum, qui libro de Agone Christiano cap. 18. sic ait: *Inuisibilis & incommutabilis veritas, per spiritum, animam; & per animam, corpus accepit.* Simili modo loquitur Damascen. lib. 3. de fide cap. 6. Probatnr iisdem rationibus, quibus Articulus superior.

Quomodo Anima & Spiritus distinguuntur.

Aduerte, in homine esse tantùm vnã animã, quæ quatenus est principium seu fons virium sensitiuarum, & vegetatiuarum, dicitur anima: quatenus autem est fons virium superiorum, scilicet intellectus & voluntatis, dicitur spiritus & mens: qui duo gradus in ipsã animã vt summum distinguuntur formaliter. Sicut ergo caro dicitur assumpta mediante animã, tum quia anima dignitate est media inter carnem & Verbum; tum, quia caro est propter animam assumpta: ita anima dicitur assumpta mediante spiritu; tum, quia spiritus dignitate est medius inter animã & Verbum; tum, quia anima est assumpta propter spiritum: non enim erat congrua assumptioni nisi ratione spiritus. Quod vt intelligatur; imaginandum est in animã esse quasi duos gradus essentialis inter se distinctos; & animam secundùm eum gradum quo est spiritus, esse præstantiorè seipsã, vt est anima dumtaxat; ac proinde animam, vt est spiritus, esse mediam, inter Verbum & inter animam, vt anima est.

ARTICVLVS III.

Vtrum anima prius assumpta fuerit à Verbo, quam caro?

4

R Espondetur, Anima non fuit prius tempore assumpta, quàm caro, sed eodem momento. Est fide tenendum contra Origenem, qui lib. 1. *περι ἀρχῶν* cap. 7. & lib. 3. cap. 3. & alibi, docet ab initio creaturæ omnes animas fuisse simul conditas, easque varijs deinde temporibus demitti in corpora, veluti in carceres, ob sua demerita. Ex quo fundamento lib. 2. cap. 6. docet animam Christi ab initio creaturæ fuisse vnitam Verbo indissolubiliter, & tandem post aliquot annorum millia, tempore diuinitus disposito, carni vnitam. Sed hoc fundamentum est omnino falsum; & refutatur in Sexta Synodo Generali actione 11. in oratione Sophronij sub finem, quæ oratio approbatur à toto Concilio actione 13.

Error Origenis quòd omnes animæ simul sunt ab initio creatæ.

Item in Concil. Braccarensi I. can. 6. & in Leonis I. epist. 99. cap. 10. & à Cyrillo lib. 1. in Ioan. c. 9. qui 23. argumentis illud oppugnat. A Hieronymo epist. ad Palmachium de erroribus Ioannis Hierosolymitani. Ab Augustino lib. 11. de ciuit. cap. 23. Denique à D. Thoma lib. 2. contra Gentes cap. 83. & 84. Pari modo falsum est, id quod Origenes ex hoc fundamento colligit de Christi animã, eam ab initio fuisse conditam, & assumptã antè carnem: & refutatur speciatim in dictã oratione Sophronij; & à Leone I. epist. 11. ad Iulian. & Damasceno lib. 4. de fide c. 6. & breuiter hic à D. Thoma. Vbi aduerte, Origenem posuisse animam illam cum ceteris ab initio fuisse creatam, & aliquamdiu postea merito singularis dilectionis à Verbo fuisse assumptã (vt refert D. Thomas Commentario in Epistolam ad Hebræos lect. 4. quamuis non ita expressè ex verbis Origenis hoc colligatur;) deinde, in plenitudine temporis post multa secula carni vnitam. Vnde sequeretur, vt benè colligit D. Thomas, illam animam primò habuisse suam subsistentiam; deinde, hæc preempta, accepisse subsistentiam Verbi; quòd sanè absurdum est.

Item, quòd anima Christi sit antè carnem creatã & vnionem meruerit.

Sed obijci potest ex Origene lib. 2. *περι ἀρχῶν*, cap. 6. Christus Psalm. 44. dicitur, *Vinctus oleo lactis præ consortibus suis; quia dilexit iustitiam & odit iniquitatem:* ergo anima Christi merito dilectionis fuit vnita Verbo; quam dilectionem habuit statim ab initio: fuit ergo vnita Verbo ab initio. Respondeo cum D. Hieronymo epist. ad Principiam, *oleum lactis*, non esse vnionem hypostaticam, sed gloriam corporis, qua Christus in Resurrectione donatus fuit, eò quòd in Passione dilexisset peccatum & odisset iniquitatem: tunc enim verè dilexit iustitiam, & odit iniquitatè, quando, vt adduceret iustitiam sempiternam, & finem acciperet peccatum (iuxta vaticinium Danielis 9.) se in mortem obtulit. Similis locus est ad Philip. 2. vers. 8. *Humiliatus semetipsum vsque ad mortem: propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen quod est super omne nomen.*

Explicatur locus Psal. 44.

D V B I V M.

Vtrum Anima saltem prius naturã non fuerit assumpta à Verbo, quàm caro?

R Espondeo & Dico Primò, Ordine intentionis prius naturã assumpta est Anima, quàm caro. Patet ex Artic. 1. Nam assumptio animæ fuit ratio & finis assumptionis corporis: Sicut enim corpus est propter animam; ita vnio Verbi cum corpore, facta fuit propter vnionem Verbi cum animã.

6 Anima prius intentione assumpta est quàm corpus.

Dico Secundò, Ordine executionis & existentie prius naturã assumptum est corpus, quàm anima. Ratio est; quia corpus humanum prius naturã intelligitur perfectè dispositum, quàm creetur anima: Supponitur enim creationi animæ tamquam subiectum, in quo anima creanda sit: atque adeo est ratio cur anima hæc & nunc creetur: ergo prius naturã subsistit, quàm subsistat anima. Ergo vt non subsistat subsistentiã propriã, debet in illo signo naturã præueniri à Verbo, antequam anima intelligatur creata. Confirmatur, quia quod est vltimum in intentione, debet esse primum in executione; vt patet exemplo eius qui ædificat

Corpus vero prius executione.